

8

Alt

6141

UB München

DE PHILOSTRATORUM IMAGINIBUS.

DISSERTATIO

INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM SCRIPSIT

ET

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

AUCTORITATE

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE VIADRINA

AD SUMMOS

IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIIS.

DIE III. M. IULII MDCCCLXXV, HORA XII

IN AULA LEOPOLDINA

PUBLICICE DEFENDET

CAROLUS NEMITZ, *C. N.*
SILESIUS.

ADVERSARIJ ERUNT:

G. HEINE, DR. PHIL.,

O. WERNER, CAND. PHIL.

E. SOMMERBRODT, CAND. PHIL.

VRATISLAVIÆ. TYPIS O. RAABII.

1875

8 Alt 6141



RICHARDO FOERSTER
SACRUM.

419 001 840 200 18



Haud scio an quispiam novam de Philostratorum imaginibus disputationem inutilem arbitretur cum eo, qui novissimus de iis deseruit, Fr. Matzium dico, virum egregium praematura morte his studiis ereptum, quaestionem omnino perduci non posse ad dilucidum ratus. Re autem vera opiniones virorum doctorum non ita inter se oppositae sunt, ut conciliari nullo modo queant, immo vero hac mea disputatione effectum iri spero, ut in diversis sententiis verum inesse eluceat. Controversia enim nonnunquam tam acriter agitata est, ut adversarii sententias invicem perperam intellegerent. Accedit quod nemo huc usque omnes opiniones de his imaginibus in medium prolatas recensuit, quidque in una quaque probandum, quid improbandum esset, examinavit. Historia controversiae deest scripta ea, qua par est, aequitate et iudicio a quavis opinione praesumpta alieno.

Itaque operam me non esse perditurum quaestionem retractando confido; illud unum, in quo omnes mecum consentire credo, praemitto abhorrere a vero unam quamque opinionem, quae verbis Philostratorum vim faciat et contra interpretationis leges peccet.

Caput I.

Historia controversiae de Philostratorum imaginibus agitatae.

Philostrateorum operum primae editiones illius temporis sunt, quo studia litterarum antiquarum longo intervallo intermissa, denuo revocata a plurimis hominibus eruditis vero amore fovebantur et colebantur, neque igitur mirum est, quod non tam cetera Philostratea opera, quam Imagines summo studio ac desiderio legebantur, cum facile perspiciatur, quem ad modum non solum materia, sed etiam forma eleganti permultos ad legendum excitare potuerint. Omnes vero, qua erant veneratione atque admiratione

veterum, omnino ea, quae prodita erant memoriae, diligenter examinare et acri iudicio submittere non conati sunt, qua re nullum dubitasse facile intellegitur, num imagines a Philostratis descriptae omnino exstiterint. Ubi vero ars critica omnibus veterum operibus adhiberi coepta est, exstiterunt, qui de imaginum illarum veritate quaererent et dubitarent. Sed cum alii viri docti, ut auctoritatem Philostratorum tuerentur, in contrariam sententiam discederent, permulta a permultis viris de rhetorum imaginibus scripta sunt, res tamen ipsa ad apertum certamen non pervenit. Quae cum ita sint, maxime mihi opus esse opinor omnium virorum dd. sententias de nostra quaestione prolatas quam verissime et accuratissime exponere atque examinare, ut tandem certam historiam controversiae nanciscamur.

Primus igitur Henricus Valesius (Emendat. III, 20) multum in arte critica Philostratorum versatus descriptiones illas imaginum nihil aliud esse contendit, quam „declamationes extemporales“. Cui iudicio nil certi inesse opinor, quia declamationes extemporales de imaginibus et veris et fictis institui potuerunt et instituebantur, ut demonstrant Callistrati *ἐπιγράσεις*. Jacobs (Prooem. p. XVIII.) igitur Valesium imagines fictas putasse iudicans non omne tulisse videtur veritatis punctum.

Sed accuratius Caylus (Histoire de l'académ. royale des inscript. et belles-lettres. tom. 29. p. 159. 1764.) imagines nunquam exstitisse ostendere studuit ratus tabulas esse commenta et poetarum operibus deprompta; duabus pertractatis omnes a rhetoribus fictas esse putavit, cum eius modi imagines, quales descripsissent rhetores, pingi omnino non possent.

Cuius viri d. opinio acerrime a Klotzio (Caylus, Abhandlungen zur Geschichte und Kunst, übersetzt von Meusel. II. Bd. Vorrede p. 5 sq.) defensa est, qui ad Cayli argumenta novum quoddam attulit: imagines aliquot exprimere tam horridas et foedas res, quales veterum artifices nunquam fuerint picturi, rhetoresque id tantum voluisse, ut artis periti et docti haberentur. Neque aliud Hagedorn (Betrachtungen über die Malerei. Tom. I, p. 174.) de imaginibus sensit, quamquam nullo novo argumento usus est. Hae fortasse erant dubitationes, quas etsi non diserte respiciens, tamen cogitatione amplectens Heyne (Opusc. acad. vol. V. p. 1—195.) primus veras imagines vidisse rhetores contendit.

Quamquam initio haesitavit in diiudicanda imaginum veritate: *quaeri potest, verene ista porticus privata an publica*

et verene iste tabularum ordo in illa exstiterit: qua de re nondum habemus, quod in alterutram partem inclinet — l. l. p. 15 —, postremo tamen tabulas re vera exstitisse, sed a rhetoribus descriptas esse ornamentis rhetoricis additamentisque affictis concessit: sibi enim rhetores non proposuisse, ut certam accuratamque instituerent descriptionem, sed ut artem docerent rhetoricam pueros quibuscum colloquerentur; quod ut facilius efficerent, tabulas illas sibi eos elegisse easque rhetoricis coloribus adumbrantes *fucō rhetorico* addito optimum quod sibi videretur genus dicendi docuisse iuvenes, propterea igitur nec nimium tribui posse his priscae artis simulacris neque iis detrahi omnem honorem.

Libello vero Heynii edito novus exstitit Philostratorum propugnator Torkill Baden iunior (Commentatio de arte ac iudicio Fl. Philostrati in describendis imaginibus. Havniae 1792.), qui quamvis non ignarus sententiae Cayli, tamen de imaginum veritate omnino non addubitavit, sed de ratione qua usi essent describendi rhetores et de tabularum disseruit arte elegantia inventionis copia varietate: neque enim ceterorum sophistarum morem nostros esse secutos, sed iuvenes nobilissimos artem docuisse, non illam umbratilem et scholasticam, quam traderent sophistae, sed cum iis in locis versarentur, ubi vigerent picturae monumenta antiquae, porticus circumeundo tabulas examinasse atque ita admonendo seiscitando digitisque omnia monstrando iudicium acuisse gustumque excoluisse iuvenum. Id vero potissimum spectasse rhetores, ut diserte „picturae historiam“ (*τὸν λόγον τῆς γραφῆς* cfr. Phil. sar. imagg. II. 8, 13. iun. 4.) explicarent, ita ut in considerandis tabulis Philostratorum aactorem de picturis disserentem ab ipsa picturarum expositione probe discerni opus esset. De unitate denique imaginum ita iudicat Torkill Baden, ut semper argumentum simplex et unum esse, sed male olim ab editoribus una imagine tabulas plures manifesto diversas comprehensas fuisse censeat.

Quibus omnino contraria Italus scripsit Della Valle (Vite dei pittori antichi greci e latini. pref. p. III.) cum Caylo consentiens nec vero argumenta proferens: „*Io sono di avviso che la Galleria Napolitana descritta da questo scrittore e molte cose dette dall' altro Filostrato siano, come la tavola di Cebete, opera della loro immaginazione; e basta essere mediocre pittore per avvedersene.*“

Deinde iunioris potissimum sophistae librum examinans Rehfues (Ueber den jüngeren Philostratus und seine Gemäldebeschreibung, Tübingen 1800.) hunc multo minus peritum artis et

intellegentem fuisse contendit, quam seniore[m]; rhetores imaginum non tam elegantias perquisivisse, quam mores personarum in imaginibus repraesentatarum et fabulas, quantum ad imagines ipsas pertinerent, pertractasse; veras vero vidisse eos tabulas e pluribus elucere locis, in quibus accuratissime et diligentissime singula essent adumbrata; attamen non nullas cum unitas desiderari videretur, in complures singulares tabulas esse resecandas. Quibus in verbis virum d. maximam partem sententiae adstipulatum esse iam a Torkillo Badeno in medium prolatae hic brevi monuisse sufficit.

Huius Rehfuesii libelli qui censuram egit ita fere iudicavit, (Erlanger Literatur-Zeitung, 1800. Nr. 40. p. 317.), ut nunquam Philostratorum imagines sine indignatione se legisse contenderet easque serioris grammatici opus esse, cum non solum eius modi imagines veteres omnino non habuissent, sed etiam eas absurdas et sibi ipsis contradicentes omnes fictas esse iam e descriptione ipsa eluceret. His vero verbis contentus quaestionem eius rei instituire inutile censuit ille vir d., quem brevitatis causa dico Anonymum Erlangensen.

Contra nulla dubitatio prolata est neque a Boettigero (Archäologisches Museum, Weimar 1801, p. 19.), neque a Winckelmanno (Monum. ined. p. 194.), atque etiam tantum aberat, ut Goethe (Werke Bd. 30: Antik und Modern.) veritatem imaginum non agnosceret, ut eas artificibus iuvenibus proponeret imitandas. Item Toelken (Ueber das verschiedene Verhältniss der antiken und modernen Malerei zur Poesie, Berlin 1822.) minime de veritate dubitans imagines eodem modo pictas fuisse censet, quo a rhetore enarratas legimus; scilicet in iis saepissime non solum rem principalem arte expressam esse, sed ea quoque, quae antecederent aut sequerentur, ita ut totus rei ordo oculis subiceretur.

Maioris erant momenti argumenta, quae Jacobs et Welcker in editione pro veritate imaginum proferebant. Jacobs in praefatione editioni praemissa rhetores opinatur argumenta tabularum ornamentis e poetarum arcibus depromptis descripsisse, qua re fidem eorum infirmari negat; eosque oculis haud imperitis in contemplandis praestantium artificum operibus usos esse e descriptionibus ipsis elucere. Accuratissime Welcker de his imaginibus haec fere protulit:

imagines a Philostratis descriptas sane exstitisse eodemque modo quo pictae essent sine ullo fuco rhetorico adumbratas esse;

permultas earum optima aetate pictas summa elegantia, varietate, inventionis copia praestare, nullas vero malas aut omnino spernendas esse; nam tot, talia, tanta artis opera fingi non potuisse rhetorum aetate, qua ars iam moribunda fuisset;

rhetoribus denique opprobrio non esse vertendum, quod de arte disputare et de compositione omnino omisissent, cum iuvenes illi, qui fabulis delectari studerent, parum severioris doctrinae cupidi fuissent.

Argumenta Heynii, Jacobsii, Welckeri probavit R. Rochette (Choix de peintures p. 47 et peintures antiques p. 160).

Sententiam vero Welckeri, quae plerisque viris dd. placuit, F. Passow (Zeitschrift für Alterthumswissenschaft 1836, p. 571 sq. et Vermischte Schriften p. 223.) infirmare studuit ita ut ad illam Cayli opinionem imagines nunquam pictas, sed a rhetoribus vanis atque inanibus fictas esse rediret. Quam ut stabiliret, nova aliquot attulit argumenta: rhetores neque ad compositionem imaginum artemque nec colorum et lucis effectum animos attendisse, sed prorsus neglegenter e nonnullis, quas alicubi vidissent, tabulis pictis et e poetarum carminibus imagines nobis propositas conglutinasse, quibus describendis iactarent doctrinam suam.

In eandem fere sententiam Preller (Polemonis fragm. p. 198.) discessit, qui Philostratos veras quidem imagines descripsisse concedit, non vidisse; rhetores e periegetarum qui dicuntur commentariis materiam imaginum suppeditatam rhetorico calamistro exornasse videntur viro d., porticus illa Neapolitana, quam nemo praeter rhetorem commemoret, nil nisi figmentum esse; imaginum denique descriptiones ex antiquioribus scriptoribus velut Antigono, Adaeo, Polemone compilatas rhetoricisque deinde coloribus exornatas esse.

Dubitationem quoque aliquam Jahn (Pentheus und die Maïnaden p. 8. et Archäologische Beiträge p. 241, 242, 287, 414.) protulit neque ex eo, quod hae imagines congruere viderentur cum iis, quae aut servatae aut notae essent, quidpiam pro nostrarum veritate concludi putavit; attamen iis detractis, quae rationi describendi rhetoricae tribuenda essent, sane de non nullarum imaginum veritate omnino dubitari non posse: rhetorem enim non tam accurate tabulam ipsam pictam descripsisse, quam sententias rhetoricas sophistarum more deprompsisse ratus inde sequi opinatur vir d., ut saepe falso intellexerit argumenta picturae Philostratus.

Suam fecit, quin etiam longius provexit, opinionem Welckeri

Brunn (Geschichte der griechischen Künstler. Bd. II. p. 54, 73, 78, 80, 83, 84, 178, 195, 199, 249, 255.) ut erat Welckerianae disciplinae alumnus ingeniosus; cum enim saepius ea, quae de veterum pictura vel de artis operibus nobis tradiderunt Plinius, Pausanias, Lucianus, alii consentire videantur cum non nullarum imaginum Philostratarum argumentis, inde vir d. nostras imagines quominus ad optimos veterimosque artifices referamus nil aliud prohibere opinatur, nisi quod satis certum argumentum non habeamus. Quod vero permultas imagines esse opera summorum artificum tam certo contendit, quam l. l. p. 245, virum d. audacius quam verius iudicasse infra ostendam.

Quibus sententiis prorsus contrariam Friederichs (Die Philostratischen Bilder.) pronuntiavit, qui ex artis praeceptis imagines examinans duo statuit genera. alias enim imagines e fabulis poetarum a rhetoribus fictas esse, alias ab ipsis inventas; nullam vero unitatem rei ex artis lege postulatam in se comprehendere neque igitur re vera exstitisse, sed Philostratos in fingendis imaginibus id egisse, ut suam doctrinam proponerent artisque rhetoricae se gnaros exhiberent: in numero igitur scriptorum artis minime esse habendos eos, cum imagines ab iis adumbratae minoris essent pretii, quam e quibus quicquam ad artis opera restauranda perciperetur; quin etiam poetici sermonis eos esse ignaros, praeclaram solam materiam e poetarum scriniis ductam efficere; ut omnino legerentur descriptiones.

Cui iudicio Philostratos increpanti quod acerrimus obstitit rhetorum propugnator Brunn, (Jahns Jahrb. 1861. IV. Suppl. Bd.) non est cur miremur, cum prorsus novas atque inauditas res Friederichs protulerit. Brunn in priore libri parte imprimis rationem esse perspiciendam demonstravit, qua usi rhetores imagines adumbrassent, neque enim tanto opere, ut eas ipsas accurate describerent singulaque quae conspicerent verbis exprimerent, illos studuisse, quam ut artem suam rhetoricam ostenderent; omnes vero imagines et pingi potuisse et pictas fuisse, etiamsi rhetores hic illic non satis recte eas interpretati essent: attamen id quoque eos egisse, ut accuratam instituerent tabulae cuiusque descriptionem, quarum permultae mira praestantia, inventionis copia, splendore picturae excellerent. Rhetores igitur merito in artis scriptorum numerum esse recipiendos.

Bursian (Literar. Centralblatt 1860. p. 700. 1870. p. 348. Jahns Jahrb Bd. 87, p. 105.) imagines quidem exstitisse concessit,

omnes vero num in pinacotheca Neapolitana fuissent, dubitavit; cum rhetores e rhetorica quadam ratione imagines adumbrantes saepe tabularum argumenta parum intellexisse pluresque in unam conglutinasse viderentur, tamen si haec rhetorica additamenta demerentur dignas esse imagines, e quibus veterum artis cognitio hauriretur.

Controversia denuo excitata latius patuit multosque libellos provocavit. Imprimis Friederichs (Jahns Jahrb. 1863: V. Suppl. Bd.) contra Brunnium altero libro scripto rhetorum descriptiones cum poetarum locis similibus contulit et rhetores imagines non pictas, sed poeticas enarrasse inde conclusit. Ubi vero rhetores imaginem, quae similis esset alicuius servatae, descripsissent, non ipsam eos vidisse vir d. contendit, sed e poeta duxisse, qui veram imaginem conspexisset et descripsisset.

Utraque sententia assensum tulit virorum dd. Veritatem imaginum Gaedechens (Glaucus p. 80), Kluegmann (Annali dell' inst. a. LXIII. p. 118.), Helbig (Symbol. philol. Bonnens. p. 371.) agnoverunt: Kekulé (De fabula Meleagrea p. 33. n. 1.), Fedde (De Perseo et Andromeda p. 42.), Ruhl (Archaeol. Zeitg. Jahrg. XVIII. p. 92.), Stephani (Compte-Rendu l'année 1862. p. 119 sq.) cum Friederichsio fecerunt, e quibus Ruhl et Stephani accuratam instituerunt quaestionem.

Ruhl primus vir usu et artis peritia adiutus ad controversiam accessit atque eas quidem elegit imagines, quas omnino pingi potuisse appareret; cum enim rhetores plurimas imagines e poetarum operibus compilassent, tamen non nunquam veras eos vidisse: imaginum tria statuit genera vir d.; alias enim imagines argumenta verae artis in se continere, in aliis complurium argumenta esse coniuncta ita ut confusio efficeretur incondita, ceteras denique prorsus a rhetoribus effictas esse. Stephani vir d. iudicavit l. l. id omnino egisse rhetores, ut imagines fingerent; cum vero paucas veras tabulas vidissent, ut accurate adumbrarent, eos minime studuisse, sed aut suas sententias imaginibus implicuisse aut e pluribus, quas hic illic conspexissent, conglutinatis descriptiones effecisse; huc accedere, quod non nulla quidem artis opera cognita habuissent, attamen non satis accurate in artis monumentis versati essent, quam ob rem saepe, etiamsi veras vidissent, vix intellexissent imagines.

Iudicium vero, quod medium est inter utramque contrariam sententiam, Matz (De Philostratorum in describendis imaginibus

fidē. Bonnae 1867.) de Philostratorum imaginibus fecit, quarum plurimas veras rhetores vidisse et descripsisse concessit, sed rhetoricis ornamentis saepe adeo deformasse et corrupisse, ut verum picturae argumentum e verbis scriptorum vix enucleari posset; appellat igitur rhetoricas ille vir d. imagines his nisus argumentis:

Philostratos nihil aliud spectasse, nisi ut iuvenes, quibuscum colloquerentur, docerent artem rhetoricam;

negari non posse rhetores non solum artis peritos fuisse, sed permulta quoque artis opera cognovisse;

imaginum minorem partem constare ex iis, quas e poematis ductas dicere Matzius non dubitat; poetarum vero ornamenta saepissime descriptionibus implicata esse;

imagines deinde neque in porticu Neapolitana neque in iunioris pinacotheca omnes exstitisse; immo vero si quid veri subesset ei, quod uterque narraret in prooemio, plenissimam sibi certe addendi omittendique sumpsisse rhetores libertatem, quamquam inde nihil concludi posset contra veritatem;

nullum autem in his declamationibus fundamentum esse, unde profecti certi quicquam assequi possemus ad artis historiam promovendam;

ut vero ea, quae re vera picta essent, cognoscerentur, descriptiones rhetoricis ornamentis purgandas esse eaque, quae superessent, num ex artis lege exprimi possent, investigandum.

Tum denuo Brunn (Jahns Jahrb. 1871. p. 1—33, 81—105.) pro rhetoribus exstitit contra Matzium, cuius ratione imagines examinandi auctoritatem Philostratorum infirmari putavit: nos enim a rhetoribus accuratam descriptionem postulare non posse, cum nihil aliud spectassent, quam ut *μελέτας* facerent; propterea in primis opus esse, ut dicendi genus rhetoricum, quo interdum simplicitas tabularum et perspicuitas obscuraretur, cognitum ac perceptum haberemus melius, quam Friederichs et Matz; saepissime deinde certo describendi ordine — *Lieblingsschema* — usos esse rhetores, cum plerumque initio capitis argumenta tabulae et fabulae imaginem spectantis enarrarentur, tum demum ea, quae oculis subiecta essent, adumbrarentur, ita ut memores essent poetarum; ex artis monumentis, quae ad nos pervenissent et perventura essent, paulatim ea ipsa, quae picta fuissent, e rhetorico velamine enucleari posse.

Cui Brunnii libello non ita multo post Matz (Philolog. Bd. XXXI. p. 585.) rescripsit se ea omnia, quae cum artis monumentis

memoriae proditis comparata congruerent, re vera picta fuisse agnoscere, itaque de iis, quae restarent, rem esse agendam: quae ut accurate perspicerentur, omnia rhetorum additamenta resecuri opus esse. Cum vero id nullo certo modo perficere possemus, omnino descriptiones nihil pertinere ad historiam artis promovendam; quin etiam nunquam ad certum quaestionis finem nos esse perventuros.

Novissimo tempore Helbig (Untersuchungen über die campan. Wandmalerei, p. 99, 256, 351, 356, 357.) et Grimm (Preussische Jahrbücher Bd. 34. Heft 1. p. 54.) veritatem imaginum agnoscens de controversia verba fecerunt.

Caput II.

Epicrisis sententiarum.

Sententiis quas protulerunt viri docti de Philostratorum imaginibus cum et vera et falsa insint, ante omnia eae ad amussim, ut ita dicam, expendendae sunt, ut verum falsumque enucleetur: omitto tamen eas, quae, cum argumentis careant, nullius prorsus momenti sunt.

Sententias optime in duo distribuimus genera:

I. Imagines affirmaverunt viri dd. nunquam exstitisse, sed a rhetoribus fictas esse

- a) Caylus, Klotz, Della Valle, Anonymus Erlangensis;
- b) rhetores non nunquam in describendo meminisse tabularum verarum post Passovium Friederichs summo opere contendit, cuius amplexus est Stephani opinionem;
- c) Ruhl non nullas re vera exstitisse putat, licet plurimae fictae sint.

II. E contrario:

- a) Heyne primus rhetores veras tabulas fuco rhetorico descripsisse ostendit; eadem fere sententia Torkill Baden, Rehues, Goethe, Rochette, Jacobs, Preller, Jahn, Bursian fuerunt;
- b) nullum per totum librum rhetorum additamentum certum reperiri posse Welcker censuit postea tamen ratus se longius progressum esse; eius sententiam maxime defendit Brunn, cui assensi sunt Toelken, Boettiger. Helbig, Grimm;
- c) Matz denique partem imaginum longe plurimam esse veram putat iisque describendis rhetores operam dedisse, ut iuvenes docerent artem rhetoricam.

Quibus expositis ad singulas accedamus sententias examinandas, ac primum quidem ad eam, quae imagines exstitisse negat.

Iam Caylus rhetoribus nec notitiam artis neque intellegentiam fuisse ratus eius modi tabulas omnino pingi posse negat. At primum, id quod nunc omnes concedent, Philostratus peritissimus erat artium multaque artis monumenta cognovit: iam initio libri de imaginibus compositi iudicium satis rectum facit praestantiae pingendi: "Ὅστις μὴ ἀσπάξεται τὴν ζωγραφίαν, ἀδικεῖ τὴν ἀλήθειαν, ἀδικεῖ δὲ καὶ σοφίαν, ὁπόση ἐς ποιητὰς ἦκει, idemque fere iudicat (vit. Apoll. p. 34. ed. Kays. Tur.) „ὦ Δάμι“ ἔφη ὁ Ἀπολλώνιος, „ἔστι τι γραφικὴ“; „ἔργε“ εἶπε „καὶ ἀλήθεια“. Multa vero cognovit artis monumenta, quae enumerare longum est, cum summa diligentia a Matzio (De Philostrat. in describ. imag. fide, p. 26—32.) omnia collecta sint.

Deinde quod Caylus imagines omnino pingi posse negat, temeritatis est accusandus, cum duas tantum tabulas accuratius perscrutatus omnes fictas censuit. Priore continentur Mercurii natales (Phil. sen. I. 26.), vel ut rectius dicam Mercurius modo natus, ut e verbis; ἐναυθὰ τὸν Ἑρμῆν ἀποτεχθέντα . . . ὃν χθὲς ἔτεκες elucet. Puerulus iam se cupidum surripiendi demonstravit boves Apollinis abducendo vel in antro abscondendo; qua re iratus hic Maiam adiit querens de Mercurii petulantia; priusquam autem haec omnes minas illius audivisset, filiolus, postquam in dorsum Apollinis insiluit, arcum et pharetram surripuit, a quo gaviso furti ludicri veniam impetrat. Qua descriptione unam tantum tabulam, non plures contineri concedet, qui accurate scriptoris verba examinaverit, e quibus hanc imaginem exprimemus. Horae, Mercurii nutrices, cubile pueruli floribus ornant Maia non procul in lecto cubante: coram ea Apollo stat, cuius in dorso Mercurius iam sedet tela dei manibus tenens. Olympus quoque hilari vultu, sedens ut fere solet, pictus est, ut significet Mercurium in Olympo natum esse. Quam tabulam non solum pingi potuisse, sed pulcherrime quoque pictam fuisse satis elucet; cetera vera, quae rhetor addidit, non ad imaginem pertinent, sed tabulae argumentum exponunt, in primis quo modo cohaereat imago cum fabula illa de Mercurii furto divulgata. Ita enarratio rhetoris quae laudetur digna est, non quae Philostrato sit opprobrio, ut Caylus censuit. Hic vero totam imaginem in septem dissecare frustra conatur, ut rhetorem veram tabulam non vidisse ostendat. Qualis vero haec est argumentatio! Num nobis licet verba scriptoris dissecare, quo-

cunque modo volumus, ut adaptemus opinioni nostrae? Hoc nemo qui se philologiae legibus obstrictum vult concedet.

Deinde Caylus alteram pertractat imaginem (Phil. sen. II. 23.), cuius argumentum hisce rhetor exponit: Μάχεσθε, ὦ γενναῖοι, τὸν Ἡρακλέα καὶ πρόβατε, ἀλλὰ τοῦ λοιποῦ γε παιδὸς ἀπόσχοιτο δυοῖν ἤδη κειμένοι καὶ στοχαζομένης τῆς χειρὸς ὡς καλὸν Ἡρακλεῖ. ἀλλὰ δεῖσθε μὴδὲν . . . Veram tabulam describere incipit a verbis: ὁ μὲν θάλαμος, ἐφ' ὃν ἔρμηκε, Μεγάραν ἔχει . . ., de qua infra dicemus. Caylus vero totam imaginem ex Euripide (Herc. fur. 925—1016) expressam esse putat, cum hunc ipsum nominet rhetor, neque omnino pingi possit tabula. Prior causa vana est; nam quis fingendi cupidus fontem, ex quo hausit, manifestat?

Sed etiam imaginem ipsam non offensionem habere, sed optime animo fingere possumus: In conclavi Megara est cum puero etiam tum vivo, ante aedes supellex sacra disiecta est, taurus ipse salvus adstat, sed ad aram iacent duo filii Herculis a patre sagittis necati: quem in furentem servi insiliunt, ut eum coerceant; hic vincire eum conatur, ille retinere, alius exclamat, alius manus extollit, reliqui assiliunt. Hercules ipse paene sensus expertus atque insanus labris spumantibus, terribili vultu, venis tumidis aedium portis adstat, quas perfringere conatur. Has res Caylus ita turbavit, ut tabula pingi non posset; sed ne in hac quidem offensio est: Hercules ipse paene obstupefactus insaniam adstat, alii servorum in eum invadunt, alii iam ab eo prostrati sunt, alius exclamans effugit. In hoc ipso, quod Herculis insaniam vultu habituque expressam videmus, ars pictoris laudanda est.

Iam examinanda est opinio Klotzii imagines tam horridas et foedas ostendere actiones rati, ut pictores veteres tales nunquam pingere conaturi fuerint. Primum vero inde prorsus nihil concludi potest contra veritatem ipsam, cum nemo Philostratorum imagines omnes pulcherrime atque ingeniosissime pictas esse affirmet; sed multae reperiuntur mediocres. Nunc vero id certo scimus pictores veterum non semper veritos esse horridas et foedas res coloribus reddere: Theoros sive Theon Clytemestram pinxit et Aegisthum ab Oreste necatos (Plin. h. n. 35, 144.), Ophelion Aeropem, Atrai uxorem, lacrimas fundentem ante foedae cenae reliquias; Silanion Jocastam morientem ex aere finxit, Timomachus Medeam infantes necantem imagine expressit (Brunn, Gesch. d. griech. Künstler II. p. 287; I. p. 394, II. p. 278.). Alias eius modi imagines commemorare videmus Friederichsium (Die Philostr. Bilder p. 67.)

Brunnium (Jahns Jahrb. IV. Suppl. Bd. p. 217.); Helbigium (Untersuchungen etc. p. 326.).

Nunc audiatur Passow, qui hoc rhetoribus opprobrio vertit, quod prorsus et lineamenta, formam, mensuram tabularum notare et de arte ipsa verba facere omisissent; sin respexisset, quid rhetores sibi proposuissent, non tale quid postulasset. Cum enim apud veteres scriptores, ut Plinium, Pausaniam, alios vix unquam accuratas descriptiones, quales nunc nos requirimus, inveniamus, nullo pacto id a Philostratis poscere possumus, qui cum pueris de tabulis colloquebantur, vel etiam in iis describendis artem suam rhetoricam rem praecipuam habuerunt. Sed ne verum quidem est, quod rhetores omnino neque animadvertisse neque intellexisse elegantias picturae, ut colorum lucis tenebrarum effectus, vir d. censuit, quibus in describendis satis longos esse eos ex tot exemplis elucet, ut non nulla commemorasse sufficiat. In imagine I, 2 rhetor Comum describit comitesque facibus collucentibus *καμάζοντας: τὰ δὲ λοιπὰ τοῦ σώματος διηρηβωται πάντα περιλάμπουτος αὐτὰ τοῦ λαμπαδίου καὶ ἐς φῶς ἄγοντος*, et in eadem tabula varios colores: *ξανθοῖς καὶ κυανοῖς χρωμασιν*. I, 8: *τὸ δὲ κύμα γλαυκὸν ἔτι καὶ τοῦ χαροποῦ τρόπου, πορφυροῦν δὲ αὐτὸ ὁ Ποσειδῶν γράφει*. I, 11: *χρυσᾶ τῶν Ἡλιάδων τὰ δάκρυα . . . τὸ δὲ ταῖς παρειαῖς ἐντυγχάνον μαρμαρίζει περὶ τὸ ἐκεῖνη ἔρευθος, τὰ δὲ στάζοντα κατὰ τοῦ στέρονου χρυσοῦς ἦδη*. I, 1: *καὶ τὸ ἄνθος τοῦ πυρός οὐ ξανθόν, οὐδὲ τῆ εἰδισμένη ὄψει, ἀλλὰ χρυσοειδὲς καὶ ἡλιοειδὲς*. II, 8: *ἡ γὰρ ἀνταύγεια τοῦ ἡλίου χρωμα προσβάλλει μετέωρον τῷ ὕδατι*. II, 10: *αἰχρὸς δὲ οὐδεὶς τῶν κειμένων, ἐπειδὴ τοὺς ἐν ὄνῳ ἀποθνήσκοντας οὐκ εὐθὺς ἀπολείπει τὸ ἄνθος*. II, 18: *ἡ δ' ὑπὲρ κεφαλῆς ἀλιπόρφυρον μὲν λήδιον ἐς τὸν ξέφυρον αἶρει σκιὰν ἐκαστῆ εἶναι καὶ ἰστίον τῷ ἄρματι, ἀφ' οὗ καὶ ἀργὴ τις ἐπὶ τὸ μέτωπον καὶ τὴν κεφαλὴν ἦκει οὐπω ἡδίων τοῦ τῆς παρειᾶς ἄνθους*. II, 29: *σελήνη μὲν γὰρ προσβάλλει φῶς οὐπω πιστὸν ὀφθαλμοῖς*. Iun. 5: *κάρχαροι δὲ οὗτοι καὶ λάδεις λοφιαίτε αὐτοῖς ὑπὸ τοῦ θανάτου ἐς θότερα ἐπικρεμῆς καὶ τὰ ὄμματα οὐ δεδορκότα ἦτε φολῆς οὐκ ἐξανθοῦσα χρυσῶ καὶ φοίνικι ἔτι, οὐδὲ πρὸς τὰς τῆς κινήσεως τροπὰς ὑπαυγάουσα, ἀλλ' ὑπαωχρὸς καὶ ἐν τῷ διαφορῶ περιδνός*.

Denique in hoc Passow offendit, quod rhetor parum tabularum compositionis et collocationis rationem habuerit. Rhetori exponere non opus fuit, quae in hac aut illa parte picta essent, cum pueri ante imagines ipsas starent; attamen hic illic non omisit

totius tabulae caput indicare, ut Phil. sen. II, 10: *τὸ δὲ κυριώτατον τῆς σκηνῆς*.

Nova argumenta Friederichs protulit, qui imagines fere omnes ea ratione examinavit, ut conferret eas cum artis monumentis, quae etiam nunc exstant; cum vero saepius ab his discrepent, eas fictas esse putavit. Sed hanc rationem multo audaciorum esse, quam quae probetur, facile demonstrabimus.

Primum enim omnia artis monumenta, quae supersunt, tam pauca sunt, si ea respicimus, quae fuisse a scriptoribus traduntur, ut fere nihil inde concludere possimus; tum argumenta ex historia fabularum et rerum gestarum petita saepissime vario modo ab artificibus tractata et retractata sunt; nostris denique diebus cotidie fere nova monumenta et effodiuntur et publici iuris fiunt, ut illud: *dies diem docet* in hac ipsa re maxime confirmetur. Atqui est Friederichsii sententia, rhetores non solum fabulas a poetis enarratas in imaginum tabulas quasi inclusisse, sed etiam e suo ingenio finxisse, quas imaginum formis adaptarent; cuius utriusque rationis exponamus exempla. Permultum ille vir d. in Pindari imagine (sen II, 12.) erravit (Die Philostr. Bilder p. 124.) *Ich wollte gern dem Rhetor alle Götter und Götterstatuen mit sammt den Bienen schenken, wenn er mir nur dafür eine Amme für das neugeborne Kind geben wollte. Der Rhetor fand keine Amme in der Erzählung, die er nachschrieb, erwähnt: aus demselben Grunde erfahren wir nichts von Vater und Mutter des Knaben . . . Jedenfalls erscheinen die Bienen nicht in rein symbolischer Bedeutung, sie thun an Pindar das, was die Wölfn that an Romulus und Remus; sie nähren ein hilfloses Wesen leiblich . . .* Inprimis id tenendum est pictorem non Pindari natales pinxisse, sed puerulum poetam, qui iam natus est: nam quid aliud est: *γέγονε δὲ ἦδη Πινδαρος*? Tum quid sibi vult nutrix, quid parentes in hac imagine, cum minime agatur de corpore pueri nutriendo alendoque? Quae sententia a poetae aut artificis ingenio permultum abhorret. Apibus vero pro symbolis usus est pictor, ut Pindarum iam a cunabulis canendi dulcedine esse imbutum; itaque prorsus aliud significant apes in ea imagine, quam lupa geminos illos nutriens. Si vero nutrix et parentes adfuissent, certo tabulae pulchritudinem diminuisset: nam Pindarus dormiens — ut suspicari licet — in lauri myrtique frondibus iacet; eius ori apes mel instillant, dum Nymphae et Pan saltant. — Cuius imaginis pictor ut poetam sacrum esse indicet ad Pindari (fragm. XI, 163 p. 631.) verba alludit: *Μελισσο-*

τεύκτων ηἰρίων ἐμὰ γλῶκκώτερος ὀμφά et (Bergk. poet. lyr. I. p. 353.)
 Οὗτοι με ξένον Οὐδ' ἀδαήμενα Μοισῶν ἐπαίδευσαν κλυταὶ Θῆβαι.

Statuam Rheae ante Daiphanti aedes in imagine collocatam esse Friederichs quoque concedere videtur, sed Pana et Nymphas e loco Pindarico a rhetore additos esse censuit, nec vero intellexit poetam cum his diis artissime coniunctum esse, id quod e Pindari carmine (Pyth. III. 77.) satis elucet. Pan et Nymphae ubique deam magnam comitantur; ille deus Pindari carminibus ita delectatus est, ut saltare desineret eiusque carmina caneret, quapropter poetam carmen composuisse (fragm. VI, 2. p. 591.), quo Pana celebraret, orta est opinio.

Videmus igitur rhetorem non solum imaginem, quam viderit, describere, sed suis annotationibus rhetoricis exornare: ita ea quae nobis enarravit, quae tum, cum Pindarus natus est, fiebant, ut ii, qui aderant, accuratius tabulam intellegerent, ipse vero, quod sibi proposuerat, persequeretur.

Altera imago saepissime expressa Ariadnen dormientem Baccho cum comitibus accedente repraesentat, (Phil. sen. I, 15.) Friederichs (l. l. p. 104 sq.) Ariadnen quidem pingi potuisse concedit, Bacchum, comites, Theseum e fabula quadam a rhetore fictos esse putat. Argumenta, quae affert, videamus: Theseum, qui Ariadnen deserit ad illam non retro respiciens, nunquam pictum esse nec pingi posse: etiamsi vero imago eius modi nunc non exstet, quid prohibuit pictorem, quominus ab usitata pictura recederet? Idem est proferendum contra virum d. censentem non recte pinxisse pictorem Bacchum iam amore Ariadnes captum comitibus admiratione quasi obstupefactis; nam in ea ipsa re pulchritudo picturae quaerenda est; hoc ipso artifex amoenitatem puellae dormientis augens tantam esse ostendit, ut ea obstupefacti vel libidinosissimus Pan et Satyri cupidinem coercerent strepitum intermittentes, ne somnum dormientis turbarent. Eae igitur res ipsae, in quibus Friederichs offendit, nos ut pulchritudinem agnoscamus picturae commovent.

De Friederichsii sententia rhetores omnino neque artem nec verba poetarum intellexisse in postrema dissertationis parte disputabo.

Jam vero de tali imaginum partitione, quam Ruhl statuit plurimas fictas, non nullas censens veras, minime est cogitandum, cum omnes imagines eadem lege ac condicione ab utroque rhetore descriptae sint. Ut autem vera sit, quid spectasse rhetores has imagines fingentes, illas veras describentes Ruhl putat? Nunc

vero ut tales efficiat imagines, quales a rhetoribus descriptas esse opinatur, eas, de quibus disputat, in plures peculiare tabulas Ruhl distribuit Cayli, credo, exemplum secutus. At de ea ratione iam supra dixi.

Nunc ad alterum sententiarum genus quas viri dd. protulerunt transeo. Omnes enim ceteri minime de imaginum veritate dubitaverunt inde ab Heynio, qui primus rhetores veras imagines descripsisse affirmavit: id enim egisse eos, ut iuvenes docerent artem declamandi, non ut tabulas ipsas accurate describerent. Quamvis rhetores id consilium cepisse concedam, Heynium tamen longius progressum esse opinor; videbimus enim saepissime Philostratos id ipsum spectasse, ut accurate describerent, quae quaque in tabula picta essent. Ac ne hoc quidem nos fugiet eos et verba plurima et sententias e poetarum arculis deprompsisse et descriptionibus implicuisse, ut mos est rhetorum. Quae cum ita se habeant, Heynio non assentiar in eo, quod „magna sagacitate“ opus esse contendit, ut ea quae rhetor viderit indagemus, quamvis, nisi iudicio satis acri utamur, verum explorare vix possimus; nusquam vero „sola hariolatione“ assequi licebit, quod verum tabulae argumentum fuerit.

Videamus exemplum: In prima imagine Scamandri et Vulcani proelium describitur: Ante nos planities Troiana, in extrema tabula moenia Ilii; totam per planitiem ingens ignis grassatur et Vulcanum circumdat ripas fluminis aggredientem ita ut arbores sint exustae. Scamander vero fluminis numen humi recumbens tristi vultu Vulcano supplicat exustisque comis; nititur in urna aquam fluvii profundente. Vulcanus non, ut fere, claudicat, cum deum invadat. Quam tabulam omnino pingi posse quis neget, cum similem habeamus in Iliadis codice Mediolanensi (ed. A. Mai 1819, tab. 53.). At in nostra imagine Homeri descriptionem (Iliad. XXI 305 sq.) non totam pictam esse videmus, sed pictorem discrepare a poeta, id quod Philostratus, qua erat artis poetarumque scientia, bene intellexit: *ταῦτα οὐκ ἐπι Ομήρου*. Pictor enim ignem non colore naturali, sed auro et soli similem reddidit, qua re eum *τὸ θεοπιδαῆς πῦρ* (Iliad. XXI, 342.) significare voluisse veri simile est. Quod Heynius tabulis fucum rhetoricum additum esse censet neque in hac neque in ceteris concedere possumus; omnia enim, quae vir d. fucum appellavit rhetoricum, nos apte et prudenter a rhetore, qui ut exponeret tabulae cuiusque argumentum studuit, addita esse persuasum habemus; ita in hoc capite prima verba nil

aliud fuerunt, quam prooemium, quo pictorem tabulae a poetarum narratione discrepare rhetor exponeret. Quamquam nonnulla parum accurate descriptum esse libenter ego quoque concedo, nempe nimium tribuebant rhetorico dicendi consilio, tantae vero libertatis addendi omittendique, quantam Heyne et Matz rhetores sibi sumpsisse putant, Philostratos accusare nolim. Ut exemplum afferam, in tabula Phil. sen. II, 10. verba: *περιπεσεῖν ὄρωμε τῷ Ἀγαμέμνονι ἑπιτοῦσα ἀφ' αὐτῆς τὰ στέμματα καὶ οἶον περιβάλλουσα τῇ τέχνῃ αὐτόν* a rhetore ex Aeschyli fabula (Agam. 1265.) petita esse satis elucet, cum Philostratus modo dixerit Casandram humi iacere et a Clytemestra pedibus conculcari. Eius modo exempla satis rara sunt neque idem de Iunioris tabula 7. contendam: Iasonem uno calceo uti rhetor dicit memor illius Pindari *μονοκορηπίδα* (Pyth. IV, 75.). Cur pictor, ut Iasonem esse illum virum significaret, uno calceo calceatum pingere non potuerit, equidem non intellego, quamquam viri illi dd. id non ad rem imagine expressam quadrare contenderunt.

Hoc vero semper tenendum est, rhetores adeo imbutos esse sententiis verbisque poetarum, ut quavis occasione et quolibet loco eorum recordentur iisque utantur.

Nec Torkill Baden quin rhetores veras describerent imagines unquam dubitavit; magno opere in eo erravit, quod editores falso plures tabulas in unum caput inclusisse putavit; nam in omnibus codicibus excepto uno Parisino p., qui quattuor exhibet imaginum libros, imagines eodem modo in duos libros et singula capita distributas esse constat.

Nunc ad Prelleri accedamus sententiam rhetores deprompsisse imagines, quas exstitisse negari non possit, e periegetarum scriptis. At ex eo, quod in periegetarum libris fragmentisque vestigia inveniuntur verarum imaginum, nullo pacto rhetores materiam imaginum suarum ex iis depromptam rhetorico calamistro exornasse concludi potest; neque haec opinio magis eo confirmatur, quod memoria porticus Neapolitanae apud alios scriptores non invenitur, qua de re cfr. Jahns Jahrb. 1861. IV. Suppl.-Bd. p. 194 et Matz, De Phil. in desc. im. fid. p. 23.

Bursian denique non constare censet omnes tabulas in illa pinacotheca Neapolitana suppetiisse. At unde talem dubitationem sumere licet? Asseverat diserte Philostratus in prooemio: scimus quoque aetate rhetorum luxus cupiditatem tantam fuisse, ut saepe pulcherrimae domus, porticus, pinacothecae, alia luxuriae instrumenta

unius privati hominis essent (Friedländer, Ueber den Kunstsinn der Römer p. 33 sq.). Deinde novum argumentum vir d. attulit rhetores non nunquam significationem tabulae non recte intellexisse ratus ita ut argumenta, quae in compluribus imaginibus picta vidissent, in unam includerent imaginem et eam rebus enarrandis, quae non iam pictae essent, rhetorice exornarent. Cuius sententiae alteri parti assentiendum esse opinor: primum enim rhetores imagines non artificum more, sed rhetorum descripserunt, unde concludere licet eos saepius parum spectantes ea, quae picta essent, magis eorum rationem habuisse, quae cum tabularum argumentis cohaererent. Plures autem tabulas in unam conclusisse imaginem eos rarissime concedam, quamquam negare nolo duo argumenta uni tabulae inesse, quae ratio minime a veterum pictura abhorret. Ita in Achillis educationis imagine (Phil. sen. II, 2.) puer bis pictus est et cum Chirone ludens et in eo equitans; Pentheum a Bacchis discerptum videmus et mulieres facinus lamentantes (Phil. sen. I, 18.). Nullo vero fere loco rhetor indicare omisit, ubi novum argumentum initium faciat, ut I, 18: *ταῦτα μὲν τὰ ἐν τῷ ὄρει, τὰ δὲ ἐγγύς ταῦτα ἦδη*. II, 2: *παντὶ μὲν περὶ τὰς θύρας τοῦ ἀντροῦ, ὁ δὲ ἐν τῷ πεδίῳ παῖς*. II. 21: *παντὶ μὲν ἀμφοῖν τὰ ἐς τὴν πύλην, ὁρῶς δὲ αὐτοῦ καὶ παλεύοντος*, e quibus exemplis semper eam tantum tabulam duas comprehendere in se scaenas videmus, in qua eadem personae statu commutato comparent.

Iam supra Welckerum nullum per totum librum rhetorum additamentum certum inveniri posse censuisse vidimus, postea vero ab ea sententia discessisse. Sententiam vero, quam primus protulit vir d., imagines fere omnes ab optimis veterimisque Graecorum artificibus pictas esse errore contineri multis rebus facile ostenditur. Complures tabulas non esse opera tam egregiae artis, quam Welcker opinabatur, ut probem pauca satis erunt exempla: Penthei membra discerpta (Phil. sen. I, 18.) corpus Hippolyti mutilatum (l. I. II, 4.), Casandra trucidata (l. I. II, 10.) calvae de arboribus dependentes (Phil. sen. II, 19.), alia; gravius argumentum est, quod Welcker ea, quae a scriptoribus Plinio, Pausania, aliis de artis operibus tradita sunt, cum his comparans imaginibus audacius quam verius praestantiam earum conclusit. Imaginem 5. Iunioris a Zeuxide pictam esse vir d. Plinio auctore H. n. 35, 36. contendit. Nunc vero Plinius Herculem quidem et parentes nominat, reticet vero Tiresiam et Noctem. Huc accedit, quod in Philostrati imagine dracones iam strangulati sunt

ut e corporum descriptione elucet, Plinius vero Herculem dracones strangulantem dicit. Tum Plinius Marsyam religatum a Zeuxide pictum commemorat (H. n. XXXV, 66.), Philostratus vero iunior describit (im. 2.) Marsyam ad pinum adstantem, ἀφ' ἧς κρεμασθήσεσθαι οἶδεν. Idem denique auctor narrat Apellem pinxisse et quae pingi non possunt (H. n. XXXV. 96.): tonitrua, fulgetra, fulgura, quae Bronten, Astrapen, Ceraunoboliam appellant. Neque fieri potest, ut Plinius de Philostrati illa imagine (Phil. sen. I, 14.) loquatur, cum in hac tabula illae deae tantum ut lucis effectum augeant pictae sint, caput vero totius imaginis in Semele et Baccho positum sit, de quibus Plinius nihil dicit; tum vero in imagine Philostratea nusquam mentio fit Ceraunoboliae.

Arbitrariam igitur rationem Welckeri esse ex his exemplis apparet.

Affirmat denique ille vir d. non potuisse fingi Philostratorum aetate tot talia tanta artis opera, qualia isti describunt, cum picturae ars perierit ac ne minimum quidem vestigium reliquerit teste Petronio. (c. 88.)

Atqui in ea quoque re Welcker errasse videtur. Certo enim scimus etiam Hadriano imperatore pulcherrimas aedes aedificatas esse; imprimis Athenis ars denuo effloruit: restitutum est veterrimum Jovis Olympii templum magnificentissime, bibliothecae et gymnasii domus e phrygio libycoque marmore exstructae sunt; Antoninus Pius Ostiae balneas, Antii aquarum ductum, templum Lanuvii condidit. Fiat quoque mentio arcuum triumphalium ingenti altitudine et magnificentia, qui anaglyphis maxime variis ornati a Septimio Severo filiisque anno 210 p. Ch. exstructi sunt. Statuariae artis praeclara opera imitabantur artifices satis ingeniosi Luciano auctore (Philops. 18), qui in privati hominis aedibus apographa optimorum artis operum conspexit; quodque aedificium statuis ornatum erat, quibus etiam philosophi et sophistae honorabantur. Porticus quoque pulcherrimas imagines ostentabant. Mortui denique sarcophagis condebantur qui anaglyphis exornati artificiosis erant. Quanto vero studio illa aetate artes adamaverint, ex hoc potissimum intellegitur, quod cives, viri potentissimi, imperatores ipsi in iis se exercere conabantur. Marcum Aurelium Diognetus Graecus pingendi artem docuit, Alexander Severus praeclare pinxisse dicitur; similia denique de Eleagabalo et Valentiano memoriae sunt tradita. (cfr. Friedländer, Darstellungen aus der Sittengeschichte Roms. III. Bd. pp. 125, 170, 171, 193, 209.)

Quae exempla satis erit attulisse.

Novum magni momenti argumentum Brunn hisce profert: „Die Gemälde sind kaum als das Object der Philostratischen Beschreibungen zu bezeichnen, sondern nur als der Stoff, an dem die Rhetoren ihre eigene Kunst darlegen wollen. (Jahn's Jahrb. 1861. IV. Suppl. B. p. 193. Quibus verbis virum d. proxime ad verum accedere omnino persuasum habeo, cum rhetor ipse declamationes publicas de arte rhetorica — μελέτας — instituere se noluisse in prooemio dixerit, sed precibus iuvenum ut imagines exponeret indulgentem tabulas ἐπίδειξιν se fecisse. E verbis ipsis: εἶδειτο μου ἐρμηνεύειν elucet rhetoris imprimis interfuisse, ut tabulas explicaret nec vero a vero aberrabimus, illum pueros artem quoque rhetoricam docuisse rati; ea enim ratio continuo curae erat rhetoribus, atque imprimis nostris, qui in prooemiis id quod proposuerant sibi accurate exponunt: ἀλλ' εἶδη ζωγραφίας ἀπαργέλλομεν, ὁμιλλίας αὐτὰ τοῖς νέοις συντιθέντες, ἀφ' ὧν ἐρμηνεύσουσι τε καὶ τοῦ δοκίμου ἐπιμελήσονται — senior; γραμμασι γὰρ προστυχῶν χειρὸς ἀστείας, ἐν οἷς ἀρχαῖαι πράξεις οὐκ ἀμούσως ἔχουσαι ἦσαν, οὐκ ἤξιωσα σιωπῇ παρελθεῖν ταῦτα iunior.

Deinde Brunn rhetores certo describendi ordine — *Lieblings-schema* — plerumque usos esse contendit ita, ut in primis verbis narratio fiat quaedam aut iudicium quoddam, tum vero imago ipsa adumbretur. Ne hoc quidem parvi est momenti; imagines enim, quibus in describendis illo modo usi sunt rhetores, non paucae sunt: quas priusquam afferamus id tenendum esse animadvertimus rhetores semper indicare verbis, ubi tabulae adumbratio incipiat. Sunt vero haec: I, 1 Phil. sen. ὄρα δὴ πάλιν. I 3: εὐδοκίμοῦντες οὖν οἱ μῦθοι — φοιτῶσιν. Optimum exemplum praebet imago I 8, in qua Homeri enarratio (Iliad. XIII 17 sq.) totam per tabulae descriptionem comparatur cum pictura, quam vidit Philostratus. I, 10: ταῦτα γὰρ τὰ ἐν τῇ γραφῇ. I, 11: σκόπει γὰρ. I, 15: οὐ μὴν δεομαι λέγειν. I, 16: γέγραπται δὲ οὐχ ἡ εὐνή νῦν, ἀλλ' ἐργαστήριον. I, 21: εἰ δὲ τὸ κάλλος ἀνακρίνεις, τοῦ ὕδατος ἀμέλει. I, 26: ὄρα τὰ ἐν τῇ γραφῇ. I, 29: τετέλεσται ἤδη ὁ ἄδλος. II, 2: τουτοῦ δὲ οὐπω ξυνηέντα ἀρετῆς. II, 3: οὐ γὰρ οἰμαί σε ἀχθεσθαι τῷ Πέλλῳ. II, 7: ταῦτα μὲν οὖν Ὀμήρου γραφαί, τὸ δὲ τοῦ ζωγράφου δράμα. II, 8: οὐτοσί δὲ ὁ λόγος ἕτερος. II, 9: τὸν δὲ Ἀβραδάτην καὶ τὴν ἀποθανοῦσαν ἐπ' αὐτῷ Πάνθειαν, ἐπειδὴ ταῦτα ἡ γραφή βούλεται, διασκευσώμεθα. II, 10: σκόπει γὰρ. II, 13: ὁ μὲν δὴ λόγος τῆς γραφῆς οὗτος, τὸ δὲ ἐναργές. II, 14: τούτῳ γὰρ νυνὶ τῷ ἔργῳ ἐφέστημεν. II, 17: ἰδοὺ ἐμβεβήκαμεν· ξυγχαρῆς γὰρ

που. II, 18: τοὺς μὲν ἄλλους ἕα. II, 20: γέγραπται δὲ ὁ μὲν ἀπειρηκώς. II, 22: ὁ δὲ ἐν ἀπαλῇ τῇ ψάμμῳ καθεύδει. II, 23: σοὶ δὲ ὄρα γίγνεσθαι τῆς γραφῆς. II, 24: τὰ δὲ τῆς γραφῆς οἷα μηδὲ τὸ εἶδος παρεωρακέναι τῆς γῆς. II, 34: αἱ γὰρ δὴ ὤροι αὐτοῖς εἶδεν ἐς τὴν γῆν ἀφικόμεναι ξυνάπτουσαι τὰς χεῖρας ἐνιαυτόν, οἶμαι, ἐλίππουσι. Phil. iun. 7: Μήδειαν, οἶμαι, χρὴ νοεῖν τὴν Αἰήτη του. 10: πόλις μὲν αὕτη Ἴλιος ὀφρυόεσσα. 12: ὄρα γάρ. 13: ὄρα γὰρ καὶ τὰς μελίττας. 14: ταυτὶ μὲν ὁ θεός, γέγραπται δὲ... 17: ὁ δὲ νῦν ἐνταῦθα ξυμπεπτακότι διὰ τὴν νόσον τῷ προσώπῳ... τοιόνδε, ὦ παῖ, δίδωσι λόγον.

Plerumque vero ea, de qua diximus, ratione utitur, cum alia atque ea, quae picta sunt, exponit, sive de imaginis fabulaeque conexu loquitur, sive de differentia, quae est inter imaginem ipsam et poetae verba, qui eandem tractavit fabulam, verba facit.

Denique Matzii opinionem rhetores nil aliud spectasse, quam ut rhetoricam docerent artem iuvenes, prorsus vero neglexisse imaginum descriptionem, ita ut alias fingerent, alias veras adumbrarent, meam facere non possum. Imagines omnino pingi potuisse e non nullis percepimus exemplis; Quid igitur rhetori causae fuisse dicemus, ut has fingere, illas veras describere conaretur? Quod vero se non intellegere confitetur vir d., quidnam in hisce declamationibus fundamenti sit, a quo profecti certi quidpiam assequi possimus, ad artis historiam promovendam, meum esse duco imaginum veritatem vindicare a dubitationibus nuperrime ab eo prolatis (Philolog. 1872 XXXI. p. 585 sq.) et hucusque non examinatis.

In priore quidem argumentationis parte Matz eas omnes res in imaginibus descriptas, quae si cum monumentis traditis conferimus, simile quidpiam habeant, re vera exstitisse concessit, ita ut quaestionis cardo in iis vertatur, quae monumentis etiamnunc exstantibus arte exprimi potuisse confirmantur. Putavit igitur nos nulla ratione ad certum iudicium esse perventuros, nisi singulis imaginum partibus examinatis; omnia vero, quae abhorrerent ab artis monumentis qualia fieri solerent, a rhetoribus ficta esse.

Sed eius ratio haud scio an rhetorum fidei noceat: verba enim scriptoris inter se conexa non debent disseccari; sed si universae ut traditae sunt imagines examinantur, certo perspicentur neque hariolatione uti cogemur; cuiusque vero tabulae partem veram, partem fictam esse rati certa percipere non poterimus.

Contra Philostratos, ut mos erat rhetorum, rhetorice descripsisse imagines rati, ita ut in quaque fere re recordarentur poetarum verborum et sententiarum, quorum memoriam adeo tenuerunt, ut liberari iis quae quasi in naturam ipsorum transiissent omnino non possent, illas descriptiones recte intellegere certumque iudicium de iis facere poterimus. Ratione igitur describendi cognita perceptaque tabulas ipsas et pingi potuisse et pictas fuisse videbimus, praesertim cum artis opera plurimis similia habeamus. Etiamsi vero permulta opera invenirentur, quae a ratione harum imaginum discrepant, id satis causae non esset, cur rhetorum imagines fictas censeremus.

Brunnio igitur oblocutus est Matz, quod rhetores saepius eas res quas aut falso aut omnino non intellexissent describere contendit, cum ea ratione ea, quae re vera picta fuissent, accurate perspicere nobis non liceret. (l. l. p. 589.) Qua in re ei assentiri non possum: nam additamenta rhetorica tam parvi momenti sunt, ut ex iis contra imaginum veritatem concludere nihil possimus, id quod iam supra ostendi.

Deinde Matz quanta differentia sit in artis operum apud veteres descriptionibus explicans (l. l. p. 593) rhetores maximam partem imagines finxisse contendit, primum propterea, quod Philostrati novo atque inusitato modo tabulas descripserint, cum non ad auditores ipsos, sed ad tertium quempiam, quem supposuerint, se convertant. — At videmus verba senioris ipsa (p. 380,6): puer hospitis precibus adiit Philostratum, ut tabulas interpretaretur; hic vero non solum ut intellegerent iuvenes illas, sed etiam ut artem rhetoricam discerent, imagines rhetorice descripsit et adhortatus eos, ut interrogarent, si quid minus perspicue dixisset, filium hospitis ipsum allocutus est, qui maxime discendi cupidus esse videbatur: ἤδη φιλήμοος καὶ χαιρών τῷ μανθάνειν. Num igitur est cur miremur, quod rhetor in describendis tabulis puerum illum supposuit, cum descriptiones litteris mandaret? Eo minus id mirandum est, quo magis suspicandum est eum de iis tantum rebus, de quibus speciosius disseri posset, dixisse, reticuisse vero, quae desperaret nitide se describere posse. (l. l. p. 594).

Denique vir d. iam e ratione, qua tabulae compositae essent, concludi posse arbitratus est eas re vera in pinacotheca non exstitisse; miratus quod senior, qui librum scripsit γυμναστικόν, quattuor quoque imagines (II, 6. 19. 21. 32), quae artem gymnasticam respiciunt, descripsit. Mihi vero id nullius momenti videtur: cum

enim inter sexaginta quinque tabulas quattuor tantum similem rem ostendentes reperiamus, inde nihil concludere possumus; praesertim cum eius modi scaenae, quibus certamen quoddam exprimitur, saepissime inter artis monumenta nobis occurrant, quia optima argumenta praebebant artificibus. In una quaque autem earum eandem fere rem vario modo expressam et descriptam inveniemus.

Denuo vir d. in eo, quod iunior saepius ornamenta rhetorica ex Apollonio Rhodio deprompsit, offendit ex hoc poeta pictorem argumentum picturae vix hausisse ratus; sed cur id fieri non potuerit, equidem non intellego. Quid pictorem quominus e certo poeta etsi minus noto picturae argumenta duceret impedivit? Inde vero quod rhetores cum in imagines Pindari et Sophoclis poetarum (sen. II. 12 iun. 13) inciderent, quos plurimi aestimaverunt et legerunt, eas accuratissime descripserunt, nihil contra harum imaginum veritatem concludere licet, cum fabulae illae de utroque poeta divulgatae notissimae fuerint optimumque picturae argumentum.

Nec solum Pindaro et Sophocli apes dulce mel instillasse traditum est, sed aliis quoque et poetis et prosaicis praeclaris, qua de re Weniger disseruit (Die Biene im Altertum, Breslau 1873). Inest autem Pindari imagini argumentum certum e quo rhetorem imaginem non finxisse concludas. Dicit enim rhetor saxeum Rheae simulacrum ita a pictore expressum esse, ut vere saxeum videretur, cum pictura in illa parte sculpturae instar existeret: ἡ Πεία δὲ ἄγαλμα ἐκπεπόνηται καὶ καθίδρυται μὲν αὐτοῦ περὶ θύρας, οἶμαι δὲ καὶ λέθου τὸ ἄγαλμα φαίνεσθαι, κατεσκευασίας ἐνταῦθα τῆς γραφῆς καὶ τί γὰρ ἄλλο ἢ ἐξεσμένης. Num id dixisse rhetorem fingendae causa tabulae suspicabimur? Sed etiam duos locos, e quibus eodem fere modo pro imaginum veritate quidpiam concludere possimus, invenisse mihi videor. Rhetor enim antrum Acheloi et Nympharum conspici narrat (sen. I. 23) iuxta simulacra, temporis diuturnitate partim diruta, partim a pastoribus laesa, ita ut in imagine quoque obscurata atque extenuata essent: καὶ τὰ μὲν περιτέτριπται ὑπὸ τοῦ χρόνου, τὰ δὲ βουκόλων ἢ ποιμένων παῖδες περιέκοψαν. Tertio denique loco (sen. I, 28) idem fere de simulacro Dianae a rhetore traditur: νεῶς γὰρ τις αὐτῆς ἐκεῖ καὶ ἄγαλμα λείον ὑπὸ τοῦ χρόνου. Vix rhetor ita locutus esset, nisi veram imaginem ante oculos habuisset.

In altera libri parte (l. l. p. 598 sq.) Matz accurate, quanta

usus sit Philostratus in ceteris componendis operibus fide, exponit, cum persuasum habeat rhetoris senioris auctoritate, qua usus sit in reliquis libris, imprimis in Apollonii Tyanensis vita, examinata etiam de imaginibus aliquid certi posse statui. Atque hoc quidem recte fecit: videndum autem est, ne iudicium faciamus, priusquam consilium, quod sibi proposuerit rhetor in vitae Apollonii descriptione atque in Heroico satis cognitum habeamus, de quo non facio cum viro d. Philostratum libros de Apollonii vita composuisse, ut vitam illius incliti philosophi, praecepta, facta, mortem quanta posset sapientia, doctrina, sagacitate celebraret, nunc inter omnes constat; quae cum ita sint, non mirum est, quod auctor permultas fabulas permultaque miracula, quae animo finxit, ut hominem mirificum ad sidera tolleret, historiae implicuit; neque quin philosophia veterum celebranda animos revocare voluerit ad deos a maioribus traditos dubium est. Num igitur mirum videtur, quod saepius verum neglegens facta inaudita profert.

Itaque si narratione illa ad historiae promovendam scientiam utamur, cautione quadam opus esse minime negem, nec vero iure inde concludi mihi videtur fidem rhetoris etiam in describendis imaginibus infirmari. Atque simile quiddam habent vita Apollonii enarrata et imagines pinacothecae Neapolitanae descriptae, cum in utraque Philostratus rhetorica describendi ratione usus multa e poetarum arculis deprompta adhibuerit.

Eius modi sunt verba, quibus rhetor Tantali statuam apud Indos spectatam descripsit (Vit. Ap. III 25); rhetorem vero e Pindari verbis (Olymp. VII 1) statuam illam non commentum esse e verbis utriusque inter se discrepantibus satis elucet:

Philostratus:

Φιάλην τε προῦπινεν ἀποχρῶσαν ἐνὶ διψῶντι, ἐν ἣ στάλαγμα ἐκάχλαξεν ἀκηράτου πόματος οὐχ ὑπερβλήζον τῆς φιάλης.

Pindarus:

Φιάλην ὡς εἴ τις ἀφνειῆς ἀπὸ χειρὸς ἐλὼν ἐνδον ἀμπέλου καχλάξοισαν δρόσῳ δωρήσεται νεανίᾳ γαμβροῦ πρόπινων.

Persuasum habeo rhetorem loci Pindarici memorem eo ornamento usum esse. Atqui rhetor statuam ipsam descripsisse non contentus mirum quoddam addidit (Vit. Ap. III 32): Indos omnes, qui adessent, e phiala bibisse semper denuo potum exhibente; nunc enim certo apparet sophistae commentum, quo Tantali potum symbolum esse amicitiae ostendit: ἐπειδὴ φιλικώτατος ἀνθρώπων ἔδοξεν. Huc accedit, quod potus ille saepius commemoratur: vit. Ap. III, 32: ἡ Ταντάλου φιλοτησία πινέσθω . . . ὑπὲρ γὰρ φιλότητος

Ἰνδοῖς τὸ πότον τοῦτο εὐρηται; ib. VII, 15: τὸ Ταντάλειον πόμα. Apoll. epist. 78: οὐ μὰ τὸν Ταντάλειον ὕδωρ, οὐ με ἐμνήσατε. —

Nunc cum Matzio ad imagines ipsas transeamus (l. l. p. 602), quas descripsisse rhetores non solum, sed additamentis rhetoricis interpolasse vir d. suspicatur. Eius modi additamenta imprimis ex ornamentis poeticis rhetoricisque constare in non nullis imaginibus vir d. sibi videtur. Offendit primum in alterius libri ultima imagine, in qua Philostratus Horas saltantes describit supra campum floribus mille colorum ornatum. Flores pingi potuisse negat, quia eos quoque, quos sub dearum saltantium pedibus procreaverit terra, locum commutare opus sit. At rhetor quidem propterea tantum ut significaret, quam vivae essent dearum formae, eas in orbe circumagi videri dicere potuit. Eadem est ratio thalami undarum in Meletis fluvii imagine sen. II, 8. Meletem et Cretheidem iam thalamo inclusos rhetor nusquam significat. Virgo enim ad ripam sedens aquam e fluvio haustam combibens numen fluminis adamavit, sed nondum se ab illo redamari animadvertit, cum deum ipsum non viderit, qui iam amore puellae captus undas tollit, ita ut in thalami speciem curventur: quo modo optime artifex virginem a deo redamari indicavit, καὶ ὁ ποταμὸς ἀντεροῦ γὰρ χαίρων αὐτῶν τῇ κράσει. Fluvii vero numen tam accurate et dilucide descripsit rhetor nihiloque minus undarum thalamum, ut quin vera viderit rhetor dubitare nequeamus.

Neque aliter res se habet in illa de palmarum amore narratione (sen. I, 9); non est cur pictorem fabulam de palmis divulgatam cognovisse arteque expressisse negemus, quae fabula cum Amoribus cycnis vehentibus optime concinit; rhetor profecto fabulae non ignarus diserte eam iuvenes docuit. In Menoecei imagine (sen. I, 4) minime offendere possumus, etiamsi urbem septem portarum in tabula ipsa non conspici libenter concedam. Optimum est exemplum, qua ratione rhetor tabulas descriperit; vidit enim moenia, milites, duces, Menoeceum oraculo edito patriae suum sanguinem largientem — ut Tullius loquitur — (Tuscul. disp. I, 48) Tiresiam vaticinantem, quibus e rebus Thebarum repraesentari oppugnationem mortemque Menoecei illico perspexit. Num quid aliud igitur expectare possumus, quam ut rhetor τείχος ἐπτάπυλον ex Homero (Iliad. IV, 406. Od. XI, 236) afferat? Eius modi descriptio quidem est rhetorica ornamentis poeticis exornata, sed descriptio est verae tabulae. Hoc vero cum artis legibus non congruere putamus, quod pictor sanguinem Menoecei

ex vulnere prorumpentem pinxit; haec, ut alia, sunt rhetoris. Cf. imag. II, 10: βοῶ δὲ — Cassandra — οὕτω τι οὐκ ἔστιν ὡς καὶ τὸν Ἀγαμέμνονα τῷ λοιπῷ τῆς ψυχῆς ἐλεεῖν ταῦτα ἀκούοντα, μεμνήσεται γὰρ αὐτῶν καὶ ἐν Αἴδου πρὸς Ὀδυσσεῖα, ἐν τῇ ἀγορᾷ τῶν ψυχῶν.

Tum Lydia sanguinem Panthiae sinu excipiens, (sen. II 9.) etiamsi non bene id pingi concedamus, tamen ante rhetoris oculos erat γέγραπται δὲ καὶ ἡ Λυδία τὸ αἷμα ὑποδεχομένη καὶ χροσθῆ τῷ κόλπῳ. Sane exprimere voluit pictor, quantus Panthiae fuisset amor patriae, ut haec ipsa sanguinem eius exciperet: saepissime vero locorum dii deaque personati humi iacentes arte exprimebantur. In Nili denique imagine (sen. I 5.) daemonem aquarum quem Matz pro commento rhetoris habuit expressum esse rhetor perspicue narrat: γέγραπται δὲ οὐρανομήκης . . ., nos optime eum ad Nili iacentis caput stantem et ad caelum erectum cogitamus ita ut ex urna undas fundat; nec miramur, quod a rhetore cui fortasse Pindari ἑκατοντόργυιος (Frgm. p. 627.) in mentem venit οὐρανομήκης nominatur. Nam et puerulos et Nilum humi iacentem magnitudine certo superavit.

Transiit deinde vir d. ad quaestionem illam saepissime institutam, utrum tabulae aliquot in plures scaenas sint distribuendae nec ne: qua de re iam supra ostendi rarissime pictorem duas scaenas in unam inclussisse tabulam, cum ea ratio, quamquam artis legi repugnat, tamen a posterioribus artificibus usurpata sit. Iam Brunn id pingendi genus diserte defendit, (Jahns Jahrb. 1861 IV Suppl Bd. p. 234—237) cui in universum assentior; sed inspiciamus ipsa exempla a Matzio prolata. In prima imagine, (sen. I 28.) quam adhibuit vir d., de scaenarum partitione cogitari non potest.

Caput tabulae iuvenis est pulcher ita imagine expressus, ut tragulam iecerat; aper ferox iam vulneratus a canibus ad ripam agitatur comitibus iuvenis lacum circumstantibus et victori acclamantibus, quae imago, cum magna pulchritudine esse videatur vivida longiusque producta pictura, a rhetore quoque solito diutius adumbratur. Adhortatione igitur in capitis initio praemissa verbis σκοπῶμεν οὖν τὰ γεγραμμένα, γραφῆ γὰρ παρεστήκαμεν ea, quae imagine expressa erant, describere incipit — conicere licet picturae praestantiam, cum iuvenes tam dilucide et accurate sint expressi, ut rhetor veros vivosque eos putet et postea demum se ante tabulam stare recordetur — tum vero descriptio unius cuiusque iuvenum, equorum et vestium mirus color rhetorem, ut pingendi

rationem paucis disserat, impellit: ταῦτα φασὶ τὰ χρώματα τους ἐν Ῥωμανῶ βαρβάρους ἐγγεῖν τῷ χαλκῷ διαπύρω, τὰ δὲ συνιστασθαι καὶ λιθοῦσθαι καὶ σώξεν, ἃ ἐγράφη. Deinde iuvenem pulcherrimum in lacu stantem descripsit, armigeros, canum varia genera, templum Dianae e longinquo prospectum. Nunc vero verbis ἔχονται μετὰ τὴν εὐχὴν τῆς θήρας ad venationem ipsam, quae fuerat, non quae picta erat, describendam transiit; in fine denique ad tabulam revertens dicit canes aprum, cui vulnus iam infictum est, ad ripas trahere et paulo accuratius comitum ea, quae in lacu fiunt, cum terrore intuentium habitus depingit. Ego igitur de tabulae unitate non dubito. Allocutionem rhetoris initio praemissam nihil aliud quam rhetoricam esse iam supra ostendi; in eo vero, quod vir d. a iuvenibus, ne amicum in condicione periculosissima deserant, postulat fallitur, cum rhetor aprum iam letali vulnere affectum commemorat: ἀφίησι τῇ χειρὶ πάση καὶ βάλλει τὸν σὺν κατ' αὐτὸ μάλιστα τὸ συνάπτου τὴν πλάτην τῇ δέξῃ: haec praesentia esse rhetorica e proximis elucet verbis ἔτι ἐπὶ τοῦ σχήματος, ᾧ τὸ παλτὸν ἀφήκεν; praeclara igitur arte pictor iuvenem quasi modo tragulam manibus emitteret expressit, ut pulchrum corporis habitum admiraremur. Nec quidquam amicis metuendam erat, qui nisi apro iam necato profecto nec coronam nectere neque exsultare gaudio possent. Verba denique καὶ τὴν Ἄγροτέραν ἄσονται non ad initium venationis, sed ad finem pertinent; neque enim solum ante venandum deam precibus adierant venatores, sed bonum quoque eventum adepti celebrabunt eam primitiisque venandi donabunt, id quod etiam ex hisce elucet verbis: ἔχονται μετὰ τὴν εὐχὴν τῆς θήρας.

Quibus verbis demonstrasse mihi videor de tabula bipartita cogitari non posse; neque aliter res se habet in Iunioris imagine 10., in qua unam scaenam oculis esse subiectam puto: Eurypylus iam a Neoptolemo letali vulnere ictus humi iacet Mysis victorem aggredientibus. Quod vero rhetor a verbis τὴν νεανία δὲ κάλλους μὲν ἔνεκεν ἐφεσημηνέοι ἂν οὐδέν, iuvenes ipsos, quasi in eo essent, ut alter in alterum irrueret, descripsit, eo non offendo, cum saepissime prooemio quodam praemisso ea, quae rebus imagine expressis antecedebant aut succedebant, explicentur; verba vero illa accurate perspecta nihil certi offerunt, unde tabulam animo subicere possimus, cum rhetoricis coloribus Philostratus generatim de habitu figuraque iuvenum dicat.

Nihilo magis in Phorbantis imagine (sen. II 19.) duas scaenas possum agnoscere — facio enim cum Brunnio —, (Jahns Jahrb.

1861 IV. Suppl. p. 242) etiamsi rhetor initio capitis Phorbantis facinora et apparatus pugnae solito diutius commemoravit. Ut enim quo modo Phorbas omnes viros, qui ad oraculum proficiscerentur, captos necaret, arte non expressum erat, ita quomodo Apollo et Phorbas pugnam praepararent, non opus erat repraesentare, cum ea omnia, quae rhetor de deo loquitur, optime conspici possent certamine iam peracto. Non vero praetermittendum est, rhetorem ne uno quidem verbo Phorbantem deo oppositum commemorasse, id quod certo facturus fuit si omnino in illo habitu pictus esset. Aliter vero res se habere mihi videtur in Acheloi (iun. 4.) et Antaei (sen. II 21.) imaginibus. In priore commemorat quidem rhetor tres actiones pugnae: luctatores sibi oppositos, τὰς ἀρχὰς τῆς διαμάχης, τὸ δ' αὖ τέλος, quarum primam et tertiam in imagine repraesentari opinor; adumbravit enim sophista deum et heroem, quorum alter alterum infeste adspicit, tum Acheloum iam mortifero vulnere ictum humi iacentem, dum Hercules cornu eius dextram manus nuptiale Deianirae coram patre praebet. Iam e verbis τίς ἢ κοινωνία δράκοντός τε . . . ταύρου τε et καὶ ἀνδρὸς τούτου ἡμίθης duas scaenas oculis subiectas esse elucet, cum fluminis numen ante pugnam figura draconis taurique indutum inter pugnandum in semiferum animal commutetur, ita ut certamine ad finem perducto deus βούκεως humi iaceat sanguinem evomens. Tabulam esse bipartitam in Antaei quoque concedo imagine scriptoris verbis ipsis commotus: οὐκ ἄλλος ἐπεφύκει ἢ ὡς γέγραπται, γέγραπται δὲ . . . tum: ταυτὶ μὲν ἀμφοῖν τὰ ἐς τὴν πάλην, δρᾶς δὲ αὐτοῦ καὶ παλαιότητας, μᾶλλον δὲ πεπαλαιότητος.

Sed optimum nobis occurrit exemplum tabulae bipartitae apud veteres in pictura Pompeiana ab Helbigio descripta, in qua (Wandgemälde Nr. 252, cfr. Nr. 249. b.) et Dianam lavaturam ab Actaeone conspectam, et hunc, quem dea iam armata arcu sagittisque persequitur, a canibus se defendentem videmus.

Cum autem rarissime duas scaenas in unam imaginem conclusas esse viderimus, ea res ut de fide rhetoris addubitemus nos commovere non potest. Nihiloque magis rhetores non modo non singulas res suis tabulis affinxisse, sed etiam imagines, quas e poetarum arculis finxerint, ut veras adumbrasse suspicari possumus.

Quod ut comprobetur, transeamus ad imaginem saepe pertractatam (iun. 10), in qua clipeus Achillis describitur, quam descriptionem totam ex Homero (Iliad. XVIII, 478 sq.) ductam esse Matz cum Friederichsio censuit. Brunn vero id recte monuit,

quod ratio describendi Homericam a Philostratea dissentit, illum prius universum, tum singula exposuisse, hunc contrariam iniisse viam. Sed ut Homerus verum clipeum non describat, inde non sequitur rhetorem quoque imaginem depingere commenticiam nihiloque magis si clipeus Homericus pingi nequeat, idem in Philostrateum cadere. Sumamus vero pictorem ingeniosum Homeri descriptione usum re vera maximam partem secundum poetae verba illum clipeum in nostra tabula expressisse, quem rhetor ita, ut in Homeri nitatur descriptione, adumbraverit, nihil, quominus id opinemur, nos prohibet. Immo rem ita se habuisse prorsus persuasum habeo et contendo imitationem scuti Achillei ab artifice quodam ex Homero repraesentati — sive accurate, sive singulis commutatis, quae quaestio numquam ad liquidum perducitur poterit — rhetorice a Philostrato adumbratam esse, ita ut in quoque fere enuntiatio poetae recordetur. Quam viam ineuntibus nihil offensionis rhetoris verba praebent.

Iam quintum Iunioris caput commentum e Pindaro sumptum vir d. putat, quia Thebarum feminae et milites a Pindaro — Nem. I, 37 — commemorantur. At neque Iphicles, quem poeta dicit, imagine expressus est, nec Nox, quae in tabula adest, a poeta commemoratur; tota igitur imago e Pindaro vix deprompta esse potest, sed deprompta est descriptio imaginis rhetorica e poetae carmine, cuius praeclara enarratio profecto pictorem, ut poetam imitaretur, impellere potuit; minime vero eo offendimus, quod pictura discrepat a ceteris tabulis eiusdem argumenti, quas invenimus apud Helbigium (l. l. Nr. 1123, cfr. Nachträge p. 458). Cur deinde Iunioris duae illae imagines (iun. 8 et 11) ex Apollonio Rhodio a rhetore fictae sint, vix intellegi potest, cum, quominus pingantur, nihil obstat. Quarum in priore tabularum unam tantum scaenam agnoscere velim, cum a me impetrare nequeam, ut verbis *ὁ δὲ τοὺς μὲν ἀστράγαλους* usque ad finem totam imaginem descriptam esse opiner. Rhetor profecto, quo est enucleate describendi studio, alteram quoque scaenam splendidis verbis illustrare non omisisset, si veram conspexisset; rhetorem enim verba illa addidisse, quibus iuvenes exitum scaenae imagine expressae doceret, prorsus persuasum habeo. Certo eius tabulae auctor narratione Apollonii Rhodii (III, 147 sq.) usus est, sed consensio non eius modi est, ut quidpiam concludere liceat contra imaginis veritatem. Idem in alteram imaginem cadere mihi videtur, in qua pictorem poetae narrationem (IV, 159 sq.) secutum esse nemo negabit.

Videmus igitur exemplis prolatis nihil e rhetoris cum poetis consensu colligi posse contra imaginum veritatem; immo vero inde, quod saepissime consentiunt inter se rhetor et poeta concludere cogimur artifices maximam partem argumenta picturae e poetarum carminibus duxisse. Eo, quod Cyclops (sen. II, 18) delectatur cantu solo, non — ut in pictura fere fit — fidibus canit, non est cur offendas, nam in pictura Pompejana (Helbig Wandg. N. 1052) Polyphemum tibia canentem invenimus; tum opinio totam imaginem e Theocrito (idyll. VI, 9 et XI, 38) expressam esse, iam eo redarguitur, quod poeta Cycloperem verbis *ἑδέει σφριγδῶν* et *σφριγδῶν* depingit, in tabula autem canens est. Ut in illa imagine, sic in aliis quoque scaenas conspicimus, quae multum differunt ab iis, quae pingi solebant. Nec vero est, cur miremur, quod in Baccharum imagine (sen. I, 18) corpus Penthei obtruncatum artusque discerpti oculis occurrunt, id quod omnino arte exprimere, ut iam supra ostendi, veteres artifices minime veriti sunt, etiamsi deteriores tantum ab artis lege deflecterent. Neque igitur miramur, quod in Persei imagine (sen. I, 29) bubulci heroi defatigato lac vinumque praebent, quamvis ea res in similibus picturis non occurrat; ut enim omittamus pastores illos nigro colore a Perseo et Andromeda discrepantes amoenam praebuisse varietatem, hoc sane artifex et rhetor, quantus esset amor Persei, qui virginem conspiciens etiam potus, quo summo certamine superato maxime egebat, oblitus est, optime significare potuerunt.

Sed haec sufficiant. Nunc, ut meam sententiam paucis complectar, *εἰκόνας τῶν Φιλοστράτων* descriptiones esse verarum imaginum rhetoricas censeo, in quibus magis ut sermonem ad usum rhetoricum adaptarent, quam accuratam descriptionem proponerent, studuerunt. Iam si quaeritur, num ex iis quidpiam de artis historia enucleetur, equidem quamvis in usu earum cautione opus esse opiner, optime tamen ex imaginibus, qualia artis opera rhetorum aetate pingi potuerint, concludere minime dubito.

Nunc aliquot imagines eligere mihi liceat, quibus illustrandis, quae ratio fuerit describendi rhetoribus, accuratius eluceat.

Ἐφωτέρι.

Incipiamus ab imagine, quae si inventionem spectas et compositionem in pulcherrimis est numeranda. Permulti Amores amoeno habitu in magno viridario vagantur mala carpentes et in calathos colligentes. Ad arbores aureae pharetrae Amorum

suspensae sunt, qui splendidas vestes in gramine posuerunt. Quorum alii huc illuc volitant, alii circumcursant, hi in floribus cubant, illi choream agunt, vividissimus est omnium adspectus. Si eos omnes in extrema fingamus tabula animo, satis restat spatii, in quo iucundae scaenae repraesentari poterint, quibus imago ampla fit atque ingeniosa. In antica tabulae parte quattuor scaenae oculis occurrunt, quarum mediam duo Amorum paria tenent lusum amatorium significantia: hoc enim malis tamquam sphaeris, illud sagittis se petit invicem, iuxta alterum plures Amores tertium par circumstant acerrime luctans, in adversa denique parte permulti Amores leporem venantur, qui subito a via deflectens, ut fere omnes humi procumberent, effecit; conspicuntur Amores alii alio statu humi iacentes. Si eo modo scaenas disponimus, non solum miram ostendunt pulchritudinem, sed etiam cum artis lege consentiunt. Restat ut de Veneris antro dicamus; nam tabula ita ut ostendi disposita nihil spatii superesse videri potest. Rhetor iuvenes hisce interrogat: *σὺ δέ μοι τὴν Ἀφροδίτην βλέπε· ποῦ δὴ καὶ κατὰ τί τῶν μηλεῶν ἐκείνη;* quibus e verbis conicere licet antrum, in quo statua deae collocata erat, paulo in occulto latuisse ita ut arborum frondibus absconderetur; quae cum ita sint equidem in extrema tabula antrum ponam, paulo sublimius quam campum, in quo Amores discurrunt, ita ut fons prata conspergens defluat. In antro Veneris statua collocata est, cuius in foribus donaria cum titulo suspensa speculum argenteum aureasque fibulas conspicere licet una cum Amoribus pomorum primitias deae afferentibus. Qua ratione imago disposita nil praebet offensionis neque a me impetrare possum, ut Heynio assentiar, qui dispositionem totius operis iustam atque ad artis praecepta factam esse negavit. (Opusc. vol. V, p. 32.) Omnino vero Amorum lusum gratum atque exoptatum fuisse argumentum picturae non solum e permultis elucet exemplis a Welckero laudatis et ex aliis a Stephano commemoratis (Compte-Rendu pour l'année 1862, p. 65), sed etiam e compluribus ab Helbigio recens editis (l. l. Nr. 797, 801, 802, 803, 810). Quid igitur aliud conici potest, nisi auctorem huius tabulae compluribus scaenis peramoenis, quas alibi viderat, coniunctis quo maiorem imaginem eamque ingeniosam componeret, tabulam Philostrateam pinxisse. Ea vero, quae Friederichs pictori opprobrat (Die Philostr. Bilder p. 160), Brunn iam recte refellit (Jahns Jahrb. 1861, IV. Suppl.-B., p. 281), quamvis longius processisse mihi videatur omnes Amores imagine repraesentatos pro-

symbolis a pictore expressos putans: illum enim opinor parum id spectasse, ut sententias graves atque elatas in pictura absconderet, sed id rhetoris erat, qui imagines exposuit — et optime eo functus est munere, cum de Amorum in rebus divinis humanisque potestate, de horti *εὐωδία*, de Amorum ludantium et certantium signo symbolico, de leporis venatione et fecunditate dissereret. Quantum in ea re, imprimis in elegantibus picturae exquirendis, rhetores progredierentur, optime ex Helbigii verbis elucet (Untersuchungen p. 357, A. 2), nisi hunc iusto longius progressum esse opinaremur. Nam in iis potissimum rebus rhetoris explicationes, quibus artem doceat rhetoricam, sunt quaerendae, iisque oratio rhetorico ornamento exornatur atque augetur. Complures eius modi animadversiones reperimus: I, 6: *μῶν ἐπήσθου τι τῆς ἀνὰ τὸν κῆπον εὐωδίας . . . ἢ συνθήκη δὲ αὐτῶν Ἡφαίστου νοεῖσθαι.* I, 15: *οἶον, ᾧ Λιόνυσε, καὶ ὡς ἡδὺ τὸ ἄσθμα, εἰ δὲ μήλων ἢ βοτρυῶν ἀπόξεις φιλήσας ἐρεῖς.* I, 20: *συγκεραννύς τὸν ἰδρωῶτα τῆ τοῦ λευμῶνος δρόσῳ . . . ὁ δὲ ἀντιπνεῖ τῷ ἀνέμῳ ἔλαιον τὸ ἀπὸ τοῦ στέρονος ἄσθμα . . . ὁ σοφώτατος δὲ αὐτῶν ἔτι θερμοῦ θατέρου τοῦ αὐλοῦ τὴν γλαῦτταν ἀνασπᾶσας ἐσθίει etc.*

Restat ut de Ruhlii (Archaeol. Zeitg., Jahrg. XVIII, p. 92) et Matzii (De Philostr. in describ. imag. fide, p. 80) loquar argumentis: prior enim rhetorem veram imaginem non vidisse contendit, quod tota tabula peculiaribus scaenis nimis abundaret, quam ob rem eam in plures dissecare studuit: id vero non solum nimis ad arbitrium eum fecisse, sed omnino offendi non posse in tabulae unitate ex argumentis a me prolatis satis apparere puto. Matz vero id rhetori opprobrio vertere videtur, quod dilucidam tabulae cuiusque dispositionem efficere prorsus omiserit: saepius igitur in dinumerandis figuris aut per membra sibi opposita aut per certas gradationes orationem progredi. Verum inde quid efficitur contra imaginum veritatem? Quid aliud vir d. a rhetore expectavit imaginem adumbrante, quam ipse vidit et ii, quibus cum colloquebatur, spectaverunt, nisi ut grata atque amoena oratione singulas figuras commemorans alias aliis opponeret, ut: *καὶ ταράττουσαν ὁ μὲν κρότῳ χειρῶν, ὁ δὲ κειραγῶς, ὁ δὲ ἀνασειῶν τὴν χλαμύδα, καὶ οἱ μὲν ὑπερέπονται τοῦ θηρίου καταβοῶντες, οἱ δὲ μεθέπονσιν αὐτὸ περὶ κατὰ ἕχρος, ὁ δ' ὡς ἐπιρροίῳ ἐαυτὸν ὄρησε . . .* Immo vero ex ea descriptione certo rhetorem veram imaginem spectasse apparet, quam nisi oculis conspexisset, nullo pacto vividissima atque incondita ratione, adumbrare potuisset.

Qua de causa iam a Grimmio l. l. prolata supra dixi, ceteris vero quae vir d. in libello suo de conexu, qui sit inter Philostratum et Raphaellem, protulit examinandis cum hic non sit locus, id unum addere liceat, vel ex hac re quod pictor ingeniosissimus similes Amores pictura expressit ac Philostratus descripsit, apparere eius modi argumenta imagine sane exprimi posse et expressa esse.

Κασάνδρα.

In Casandrae imagine eius modi scaena est repraesentata, ut plurimi rhetorum detrectatores in ea ipsa argumentum quoddam invenerint, quo commoti totam pinacothecam unquam exstitisse negarint. Cum enim tabula nobis occurrat, quae prorsus ex artis lege picta vocari nequit, viri dd. contenderunt scaenas tam horridi et atrocis adspectus, quam in nostra imagine omnino abhorrere a veterum arte neque unquam repraesentatas esse. Quantum vero viri dd. in ea re errarint iam supra ostendi. Atqui ad imaginem ipsam transeamus, cuius haec est scaena: Facibus collustrata horrida corpora mactatorum sociorum et Agamemnonis inter mensam iacent eversam et supellectilem disiectam concisamque: iuxta ducem terrae procubuit Casandra, in qua Clytemestra crudelissima pedem ponit securimque tollit nervis brachiorum intentis ictum illatura. Coenaculum vino manans et cruore, caesi omnes iam temulenti scaenae augent atrocitatem, quam rhetor permultis verbis descripsit: introducit nos in coenaculum cruentis corporibus vinoque perfuso plenum; virginis vero vaticinantis mentio, ut fabulam enarraret, impulit: τὸν Ἀγαμέμνονα ἦγοντα ἐκ Τροίας ἢ Κλυταίμνηστρα δέχεται usque ad verba πλείω ἐν αὐτοῖς ὄψει, ubi verbis σκόπει γὰρ iuvenis animum ad tabulam convertit. Tum adumbrat mensas proturbatas, supellectilem disiectam, varios mactatorum habitus, quos septem commemorat alios alio modo collapsos; caput vero scaenae in Agamemnone est, quem uxor veste iniecta trucidaverat; tum magis commiseranda Casandra, quae ducem, ut defenderet a Clytemestra, amplecti concupivit, misere exlamans humi prominet, dum Clytemestra securim tollit. Ad finem perducit rhetor imaginis descriptionem additamento satis absurdo, quod ex Aeschylo et Sophocle deprompsit (Agam. 1291 et Electr. 137). Tabula sic disposita nemo est, qui num omnino pingi possit, dubitet, etiamsi eam posterioris aetatis et artis labentis esse e scaenae atrocitate eluceat.

Nunc igitur ea, quae viri dd. de imagine disseruerunt, videamus, atque quoniam, quae Friederichs (Die Philostratischen Bilder, p. 63—78)

primum contra veritatem attulerat, iam a Brunnio (Jahns Jahrb. 1861, IV. Suppl.-Bd., p. 186, 218, 222, 226, 230, 261) rectissime refutata sunt, mihi restat, ut contra Friederichsii argumenta disputem, quae denuo totam tabulam ex Homero expressam esse contendens (Jahns Jahrb. 1863, V. Suppl.-Bd. p. 158 sq.) protulit. Atqui imaginem iam hanc ob rem e poeta expressam vix dicamus, cum imago ipsa multis rebus a poetae narratione (Odys. XI, 408—424) discrepet. Homerus enim Agamemnonem ab Aegistho occisum commemorat: ἀλλὰ μοι Ἀγισθος τεύξας θάνατόν τε μόρον τε ἔκτα . . ; apud Philostratum ἢ Κλυταίμνηστρα δὲ πέπλον τέγγη τινὸς ἀπέλθου τὸν Ἀγαμέμνονα περισχοῦσα πέλεκυν ἐς αὐτὸν ἤκειν ἀμφήκη τοῦτον. Poeta ducem ense trucidatum esse tradidit, in imagine Clytemestra πέλεκυν ἐς αὐτὸν ἤκειν; poeta denique ducem eodem temporis momento ab Aegistho occidi narrat, quo Casandra a Clytemestra mactatur ita ut ille audiat virginis clamorem; rhetor vero Agamemnonem iam inter mortuos commemorat esse, Casandram in eo esse, ut ab uxore ducis, qua maritum necavit, eadem securi trucidetur. Aliter vero res se habere videtur, si Aeschylī fabulam (Agam. 1371) in iudicium vocamus, ex qua a Clytemestra et ducem et sacerdotem interfectos esse elucet. Idem de Matzii opinione (De Philostratorum in desc. imag. fide p. 113) est proferendum. Veram igitur tabulam rhetor descripsit rhetorice ita ut ea quoque, quae actioni imagine expressae aut antecedeabant aut succedebant, enarraret. Sumamus igitur Aegisthum sociis temulentis inter epulandum trucidatis e coenaculo exiisse — nam in tabula nullo pacto occurrit — qua in re equidem artificis ingenium laudandum censeo, qui eo quod Clytemestram solam fere inter mortuos expressit, quanta animi crudelitas et atrocitas feminae fuerit, significare voluit. Nihiloque magis *μειράκια καὶ γύναια* imagine expressa sunt, ut Friederichs opinatur, sed nihil aliud significant quam Homericum *οἰκόνδε καλέσσας* l. l. v. 410; rhetorica est elocutio *ἐν μαιρακίοις καὶ γυναιίοις*, ut nostra: bei Weib und Kind.

Nunc vero veri simillimum est pictorem eam de occiso Agamemnone fabulam, quae eius aetate longe erat notissima, tabulae argumentum adhibuisse, rhetorem vero ita tabulam descripsisse, ut et Homeri et Aeschylī respiciens verba modo huius modo illius uteretur verbis, quae ex illis memoria tenuit. Sed quod Matz rhetorem ipsum corrumpere descriptionem (l. l. p. 78.) *inserendis rerum hominumque figuris ubiubi placet, non tam per se adeo suspectis, quam quod in dispositionem tabularum minus quadrent ei*

non assentior. Offendit vir d. in nostra imagine Aegisthum ut comparere, ita subito evanescere, quem repraesentari non opus fuisse iam ostendi; sed commemorari opus fuit in argumento tabulae exponendo, cum arte cohaereret cum scaena repraesentata. Quod vero Matzius censuit sophistas nequaquam expectasse fore qui accurate imagines descriptas examinaturi essent — neque est cur id negemus — nullo pacto inde concludi potest propter ea descriptione minus accurata usos nimis indulsisse eos fingendi consilio.

Παλαίμων.

